



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

XLII. Quid si collator nolit conferre & assignare, quid iuris

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

lis contra Triennem quia non dicitur beneficium litigiosum, *Rebuff. ad Reg. de Triennali, gloss. 5. & in addit. ad d. Reg. vers. sextus casus.*

P CVM OMNIBUS JURIBUS ET PERTINENTIIS) Quorum appellatione veniunt, quæ à lege, consuetudine, vel statuto deputata sunt, *Rebuff. in forma Mand. Apost. in gloss. verbi Pertinentijs.*

Q PERSONIS IPSIS ETIAM DUO VEL TRIA) Atque ita Precistæ majori favore dignantur, quàm nominati ab Universitatibus: quia isti debent exprimere beneficia, quæ obtinent, etiam si unum minimum haberent, & hoc, ut Universitates instruantur, an Impetrantes Nominationes habeant duas præbendas, aut dignitatem cum præbenda, aut beneficia alia usque ad certam summam: Nam his casibus non debent universitates Nominationes concedere, nec Collatores eisdem providere: ut latè ostendit *Rebuff. in rr. nominat. questio 9.* Precistæ autem non tenentur hoc exprimere; quia etiam si habeant duo, vel tria, vel plura, quorumcumque qualitatis & valoris, possunt nominari, & vigore Precum hujusmodi Nominationis in quocumque mense vacans beneficium acceptare, ut antè ostendimus: etiam non obstante alia gratia expectativa, vel mandato de providendo, ut postea subiicitur.

R CUIUSCUMQUE ANNUI VALORIS) Limita hoc in civitate, & diocesi Leodien. in beneficiis, quæ excedunt duas argenti Marchas. Beneficiorum enim quorum fructus non excedunt dictas duas argenti Marchas, libera relinquitur collatio Ordinarijs, nec illa sub quibusvis gratijs contineri ex constitutione Eugenia de data anni 1432. quæ confirmata est per Sixtum anno 1479. & Pium II. anno 1458. atque etiam postea per Maximilianum I. & Carolum V. Inpp manifestum est. Porro argenti Marcha valet ducatos sex de Camera, teste *Gomesio ad Reg. de Valore, Wamel. conf. 237. n. 20. de Preb.* Ducatus autem de Camera valet unum scutum auri in auro cum uno Julio. Julius porro æstimatur denario antiquo Romano seu Regali Hispanico, ut ostendi in tractatu de re nummaria ante aliquot menses in lucem edito.

S CONFERRERE, ET ASSIGNARE) Quid si Collatores nolint? Procedent executores contra eos per censuras, ut hic subiicitur, aut Precistæ recurrat ad superiorem immediatum, aut Papam, qui semper potest adiri jure concursus, qua de re vide, quæ latè scribit *Pet. Rebuff. ad concord. Francie, s. si quis verò, verbo disposuerit, & seqq.* Quid si Collator latitet aut aliàs obset quò minus fiat ipsi inhibitio, aut insinuatio? perindè erit ac si facta fuisset; sicut pro citato habetur, qui se occultat, vel impedit ne possit citari, *c. quoniam frequenter, s. porro, ut lite contest. cap. 1. de foro compet. Guimer. ad Pragmat. sanctio. rit. de collatio.*

*As decal
7. n. 6. Ca.*

Quæritur ulterius ad Decanus, & Capitulum possit impedire Precistam, denegando illi possessionem, si constet de injustitia, & defectu tituli? Et vide-

ter